

## Werk

**Titel:** Analecta

**Autor:** Haupt, M.

**Ort:** Berlin

**Jahr:** 1869

**PURL:** [https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098\\_0003|log28](https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0003|log28)

## Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.  
SUB Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

## ANALECTA.

LXXXIII. Cicero Ep. ad Atticum 1 9 *Thyillus te rogat et ego eius*  
*rogatu Εὐμολπιδῶν πάτρᾳ.* legebatur olim *Chilius*, nomen neque auditum alias neque credibile neque scriptum in libro Mediceo: habet enim *chyllus* et in margine *thyullus*. recte vero Kayserus et hic et in aliis duabus epistulis Thyilli nomen restituit. 1 12 2 *liber-*  
*tum ego habeo, sane nequam hominem, Hilarum dico, rationatorem*  
*et clientem tuum. de eo mihi Valerius interpres nuntiat Thyillusque*  
*se audisse scribit haec et quae secuntur. hic thyriusque est in Medi-*  
ceo libro iterumque commenticium Chilii nomen locum male obti-  
nuerat. tertio id factum est 1 16 15, *epigrammati tuis quae in*  
*Amaltheo posuisti contenti erimus, praesertim cum et Thyillus nos re-*  
*liquerit et Archias nihil de me scripsisset: ac vereor ne, Lucullis quo-*  
*niam Graecum poema condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet.*  
Mediceus liber *chlylius* et in margine *vel thllyus* habet, Cratandri exemplaria *Thylius*. ad epigrammata quae Atticus in Amaltheo suo, villa Epirotica, posuit pertinent quae Cornelius Nepos in vita eius cap. 18 scribit, *attigit quoque poetiken, credimus ne eius expers esset*  
*suavitatis. namque versibus qui honore rerumque gestarum amplitu-*  
*dine ceteros Romani populi praestiterunt exposuit ita ut sub singulo-  
rum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis*  
*quinisque versibus descripsisset: quod vix credendum est, tantas res*  
*tam breviter potuisse declarari. est etiam unus liber Graece confectus*  
*de consulatu Ciceronis.* accepit Cicero commentarium de consulatu suo ab Attico Graece scriptum kalendis Iuniis anni ab u. c. DCXCVI, quod narrat Ep. ad Atticum II 1. illa epistula in qua epigrammata Attici conmemorat, quae Latina fuisse e Cornelii narratione colligimus, scripta est mense Maio anni DCXCIII. fefellerat tum Ciceronem spes quam conceperat fore ut res a se gestas Thyilli Archiaeve, Graecorum poetarum, carminibus inlustratas videret.

De A. Licinio Archia Antiochensi non repetam quae nota sunt. illud autem miror, probatum fere esse ab hominibus doctis iudicium Friderici Iacobsii, qui Anth. Gr. t. xiii p. 859, quoniam inter ea Anthologiae epigrammata quibus Ἀρχίον inscriptum est nullum sit quod non a mediocris ingenii homine conponi potuerit, omnia alius potius Archiae esse putat quam eius quem Cicero exquisitis laudibus exornaverit. inveniuntur in Anthologia non unius Archiae poemata, sed conplurium. nam si Palatini libri inscriptionibus fidem habemus, Ἀρχίον Μακεδόνος est vii 140, Ἀρχίον Εὐζαντίου vii 278, Ἀρχίον Μυτιληναίου vii 696 ix 19 111 339, Ἀρχίον νεωτέρον ix 91 x 10. hae autem ipsae notationes probabile reddunt ea epigrammata quibus simplex nomen Ἀρχίον inscriptum est ad clariorrem aliquem ceteris Archiam referenda esse. habent hanc inscriptionem in Anthologia Palatina epigrammata undeviginti, v 58 59 vi 16 39 179 180 181 192 195 207 vii 68 147 191 213 214 ix 343 750 x 7 8, in Planudea iv 94 179. praeterea in Palatina inscribuntur v 98 ἄδηλον, οἱ δὲ Ἀρχίον, vii 165 τοῦ αὐτοῦ (id est Antipatri Sidonii), οἱ δὲ Ἀρχίον, ix 27 Ἀρχίον; οἱ δὲ Παρμενίωνος, 64 Ἀσκληπίαδον, οἱ δὲ Ἀρχίον, in Planudea iv 154 Λονκιανοῦ, οἱ δὲ Ἀρχίον. denique quod ἀδέσποτον est in Palatina epigramma vii 139 in Planudeae libri quodam Barnesiano Archiae tribuitur, eidemque Archiae Planudes dedit Anth. Pal. ix 345 346 347 348 354, quae illic recte inscribuntur τοῦ αὐτοῦ, id est Λεωνίδα Ἀλεξανδρέως. epigramma Anth. Pal. vii 165 Archiae esse non dubito: praecedit enim epigramma Antipatri Sidonii (164) aliudque Leonidae (163), quorum illud variatio est. ita Leonidae epigramma vi 13 Antipatrique Sidonii vi 14 Archias variavit vi 16 179 180 181, Antipatri epigramma vi 206 variavit vi 207, epigrammate vii 68 expressit epigrammata Antipatri vii 65 et Leonidae vii 67, denique in Planudea Anthologia iv 179 Archias idem argumentum tractat quod Antipater in praecedente ibi epigrammate. non ausim adfirmare omnia illa epigrammata quae inscribuntur Ἀρχίον unius esse poetae (quamquam ne cur negem quidem causam video), neque inprobo Iacobssi insignem eis praestantiam negantis iudicium: illud adsevero, nihil in eis esse quod non potuerit Ciceronis aetate scribi. quod autem Cicero Licinii Archiae ingenium magno laudavit opere, nimirum fecit id in oratione qua eum defendit iudicibusque commendavit. et potuit Archias in aliis poesis generibus melior esse quam in epigrammatis. itaque sane probabilis mihi videtur esse eorum sententia qui Archiae

illa epigrammata tribuerunt Antiochensi. videor autem mihi hanc probabilitatem argumento augere posse haud plane infirmo. unam rem eamque ab aliis occupatam Archias quattuor epigrammatum varietate expressit. nihil magis congruere potest cum hominis ingenio quale Cicero in oratione sua § 18 descripsit: *quotiens ego hunc Archiam vidi (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis), quotiens ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis rebus quae tum agerentur dicere ex tempore, quotiens revocatum eandem rem dicere conmutatis verbis atque sententiis.*

Sed Thyilli quoque, cuius simul cum Archia Cicero mentionem fecit, aliquot extare puto carmina. epigrammati Anth. Pal. vii 223 inscriptum est Θυίλλον, x 5 Θυίλον, vi 170 Θυηλάον, ex quo recte Θυίλλον fecerunt. in Planudea Anthologia epigramma illud x 5 Σατύρων Θυίλλον inscriptum est: quod utrum recte factum sit an potius errori tribuendum (nam Σατύρων est quod sequitur epigramma x 6 idemque habet argumentum) dicere non possum. Thyilli autem nomen tam rarum est ut Iacobius Anth. t. xiii p. 950 se id alibi repperisse neget neque ego praeter Ciceronis epistulas et Anthologiam Graecam usquam legere meminerim. mirum profecto esset si duo fuissent poetae Graeci qui tam rarum nomen haberent.

LXXIV. Cicero ad Atticum iv 4<sup>b</sup>, quae epistula in Antiati scripta est, *Perbelle feceris si ad nos veneris. offendes designationem Tyrannionis mirificam in librorum meorum bibliotheca, quorum reliquiae multo meliores sunt quam putaram. etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos quibus Tyranno utatur glutinatoribus, ad cetera administris, iisque imperes ut sumant membranulam ex qua indices fiant, quos vos Graeci, ut opinor, σιλλύθοντες adpellatis.* a Graevio scriptum est σιλλύθοντες, Mediceus liber sillabos habet. mihi sit-tubos potius vel sittybos scribendum videtur, de qua voce Lobeckius dixit Prol. path. p. 290. nam in proxima Ciceronis epistula iv 5 haec legimus, *bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione et sittybis: eos velim laudes.* ibi Mediceus liber sit tybis. habet. pro constructione placuit nuper constrictione, quod volunt significare involucra librorum. mihi designata a Tyrannione librorum conlocatio recte dici videtur constructio, constrictionem autem illam temere excogitata certe Orellius pessime defendit. nam quae Plinius habet Nat. hist. xiii 26 (§ 82) ea ab hac re plane aliena sunt, Martialis autem epigramma xiv 37 sane olim ita scribebatur, *Scrinium. Constrictos*

*nisi das mihi libellos, Admittam tineas trucesque blattas, verum rectissime Schneidewinus expulso constrictos receptoque ex optimis duobus libris selectos epigramma ex insulso fecit elegans ac facetum. sittybi illi conmemorantur etiam iv 8<sup>a</sup>, postea vero quam Tyranno mihi libros disposuit mens addita videtur meis aedibus. qua quidem in re mirifica opera Dionysii et Menophili tui fuit. nihil venustius quam illa tua pugnata postquam mihi sittybis libros inlustrarunt. ita fere hodie scribitur. habet autem Mediceus liber postquam misit libros: verum ex Turnesiano adfertur postquam sit tibae libros. unde adparet scribendum esse postquam sittiboe libros inlustrarunt. cogitavit de nominativo Bootius, sed Graecanicam eius formam in illo sit tibae latere non intellexit. in Hygini fabula 178 Micylli Spartae Munckerus non in Sparti mutare debebat, sed in Spartoe. idem Spartoe reddendum est Ammiano Marcellino xix 8 11, ubi liber Fulensis sparto habet. idem codex xxii 15 14 non ἀμφίβιοι habet, sed amfiboe: adcuratius igitur scribemus amfiboe.*

LXXV. Cicero in oratione pro Sex. Roscio Amerino § 110 mallas artes Capitonis ita describit, *impedimento est quo minus de his rebus Sulla doceatur; ceterorum legatorum consilia et voluntatem Chrysogono enuntiat; monet ut provideat ne palam res agatur; ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capit's periculum aditum; illum acuere, hos qui simul erant missi fallere; illum identidem monere ut caveret, hisce insidiose spem falsam ostendere; cum illo contra hos int're consilia, horum consilia illi enuntiare; cum illo partem suam depecisci, hisce aliqua fretum ora semper omnes aditus ad Sullam intercludere. conspirant libri in fretum ora, nisi quod in non nullis inde factum est fretus ora aut fretus hora aut fretus mora. et mora quidem qui scripsit probabilem fecit conjecturam, fretus congruit cum orationis forma, sententiae minime convenit. iustum sententiam ut restituerent homines docti multa temptarunt, quod veri esset simile nemo invenit. mihi latere videtur hisce aliqua vafre mora semper omnes aditus ad Sullam intercludere. nam post aliqua facili errore ua omitti potuit: quo facto quod restabat male completem est.*

LXXVI. Apud Senecam Suasoriarum capite primo haec leguntur, *Latini declamatores in descriptione Oceani non nimis viguerunt: nam aut minus descripserunt aut curiose. non recipiendum erat mendum libri Bruxellensis: nam ineptum est accusativo casu dictum in descriptionem. altera sententiae pars intellegi non potest sic scripta,*

potest autem si ita scripseris, *nam aut minus descripserunt aut nimis curiose.*

Pergit Seneca, *nemo illorum potuit tanto spiritu dicere quanto Pedo, qui nāvigate Germanico dicit*

*iam pridem post terga diem solemque relictum,  
iam pridem notis extorres finibus orbis  
per non concessas audaces ire tenebras  
Hesperii metas extremaque litora mundi.*

versu Pedonis primo liber Bruxellensis *erga* habet: unde recipieramus antiquam et valde usitatam scribendi rationem *pos terga*. mox non video quam utilitatem habeat insertum nuper *se* inter *notis* et *extorres*: immo si additur paullo etiam minus hi versus intelleguntur. versu quarto liber Bruxellensis *asperum* habet: ex quo *Hesperii* olim factum est nescio cuius coniectura, minime illa probabili, cum, ut alia taceam, in hac oratione, in qua *per non concessas — tenebras* praecessit, omissa *ad* praepositione offendamur. illud autem dubitatione carere mihi videtur, non potuisse Senecam e Pedonis carmine versus excerpere quorum non *integra* esset sententia. atqui deest aliquid his quattuor versibus quo sententia eorum consummetur, fiunt autem integri si ita scribuntur,

*iam pridem pos terga diem solemque relincunt,  
iam pridem notis extorres finibus orbis  
per non concessas audaces ire tenebras  
ad rerum metas extremaque litora mundi.*

*rerum metas* Pedo dicit fines rerum naturae similiterque postea loquitur, *di revocant rerumque vetant cognoscere finem Mortales oculos:* paullo aliter eisdem illis verbis Vergilius Aen. i 278 in Iovis oratione utitur, *his ego nec metas rerum nec tempora pono: Imperium sine fine dedi.*

Secuntur apud Senecam hi versus Pedonis,  
*nunc illum (pigris immania monstra sub undis)*  
*qui ferat Oceanum, qui saevas undique pristis*  
*aequoreosque canes ratibus consurgere prensis.*

pessime haec vulgo interpunguntur: ita ut feci distincta ferri possunt neque opus est ut quicquam mutetur. minime autem *hunc illum* scribendum erat.

Continuatur carmen ita,  
*accumulat fragor ipse metus. iam sidere limo*  
*navigia et rapido desertam flamme classem*

*seque feris credunt per inertia fata marinis  
tam non felici laniandos sorte relinqu.  
atque aliquis prora pendens sublimis ab alta  
aera pugnaci luctatus rumpere visu,  
ut nihil erepto valuit dinoscere mundo,  
obstructa in talis effundit pectora voces.*

quod versu tertio dicuntur *inertia fata*, similia leguntur, ne alia memorem, apud Ovidium Met. vii 544, *gemit leto moriturus inertii*, et apud Valerium Flaccum i 633, *haec iterant segni flentes occumbere leto*. ultimum versum, in quo Bruxellensis liber *obstructum talis et pectore* habet, Bursianus recte emendavit. minus recte *pendens* Gronovii recepit, quod nimium distat ab antiqua litterarum memoria. ex aliis codicibus adferuntur *sedat vel se dat et spectat*, Bruxellensis *cedunt* habet, unde illa rudi artificio facta sunt. sed potest *cedunt* leni emendatione emendari. scripsit Pedo

*atque aliquis prora caecum sublimis ab alta  
aera pugnaci luctatus rumpere visu.*

eiusmodi epitheton paene necessarium est dixitque in simili re Vergilius Aen. iii 203 *tris adeo incertos caeca caligine soles Erramus pelago*.

Ipsa etiam quae secuntur speculatoris verba non carent mendo.

*quo ferimur? fugit ipsa dies orbemque relictum  
ultima perpetuis claudit natura tenebris.  
anne alio positas ultra sub cardine gentes  
atque alium liberis intactum quaerimus orbem?  
di revocant rerumque vetant cognoscere finem  
mortales oculos. aliena quid aequora remis  
et sacras violamus aquas divumque quietas  
turbamus sedes?*

*liberis* habet codex Bruxellensis. ineptissimum est quod olim scribatur *libris*, non ineptum *lembis*, quod Oudendorpio inde faciendum videbatur, sed debile: *nimbis* alicui in mentem venire potuisse miror. conicio scribendum esse

*atque alium flabris intactum quaerimus orbem.*

dixerat antea Pedo *rapido desertam flamme classem congruitque quod caecum aera*, id est obscuram nebulam, conmemoravit, congruentiam quodammodo quae deinde adduntur.

LXXVII. In Calpurnii Laude Pisonis v. 34 recte sane Carolus Fridericus Weberus scripsit

*sic etiam magno iam tum Cicerone iubente  
laurea facundis cesserunt arma togatis,*

cum olim scriptum esset *iuentae*, cui *vigente* falsa coniectura substitutum est, sed ipse quod scripsit non recte interpretatus est. dixit enim ‘emendavi *iubente*, quasi duce, qui nunc est.’ quippe fugit eum *iam tum* non numquam ita dici ut non significet non postea tantummodo verum iam antea aliquid factum esse, sed praeteriti temporis notionem quasi intendat, non multum autem a simplici *tum* differat. veluti locutus est ita Nemesianus Ecl. iii 18 ss., *te cano qui gravidis hederata fronte corymbis Vitea serta plicas quique udo palmite tigres Ducis odorato perfusus colla capillo, Vera Iovis proles: iam tunc post sidera caeli Sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum:* de quibus versibus dixi in Relationibus Academiae Berolinensis a. MDCCCLVIII p. 671. Calpurnius igitur cum dicit *Cicerone iubente* nihil aliud significat quam iussum illud olim a Cicerone editum, *cedant arma togae, concedat laurea linguae.* nam *linguae* Calpurnium in Ciceronis carmine legisse vix potest dubitari, recteque Wernsdorfius Poet. Lat. min. t. iv p. 393 intellexit versum eius ita distinguendum esse,

*laurea facundis, cesserunt arma togatis.*

legitur autem *lingua* in Declamatione in Ciceronem 3 13. apud Quintilianum xi 1 24 libri inter *laudi* et *linguae* fluctuant, sed ut *linguae* potiore auctoritate confirmetur. tum *linguae* novit Plutarchus, qui in comparatione Demosthenis et Ciceronis cap. 2 haec dicit, ἥ δὲ Κικέ-  
ϙωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρίᾳ τῆς περιαντολογίας ἀκρασίαν  
τινὰ κατηγόρει πρὸς δόξαν βοῶντος ὡς τὰ ὄπλα ἔδει τῇ  
τηθέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην.  
antiquius etiam his Plinii testimonium est Nat. hist. vii § 117, *salve,  
primus omnium parens patriae adpellate, primus in toga triumphum  
linguaeque lauream merite.* pulchre enim Wernsdorfius hoc ad de-  
cantatum Ciceronis versiculum rettulit. ipsum Ciceronem in oratione  
Pisoniana § 74 *laudi* scripsisse non potest dubitari propter ea quae  
addidit, idemque in libro de officiis i § 77 meliora exemplaria praebent.

Dixi de hoc Calpurnii versu ut praepararem emendationem alias  
versiculi quo memoria noti carminis similiter revocatur. ante illos  
versus quos quomodo Lachmannus coniuncta mecum opera emenda-  
verit in fine eorum narravi quae de carminibus bucolicis Calpurnii et  
Nemesiani scripsi (non miror autem fuisse qui fruge inventa vesci  
mallet glandibus: nam quosdam homines mirari desii), ante illos igi-  
tur versus hi leguntur (230 ss.),

*ipse per Ausonias Aeneia carmina gentes  
 qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum  
 Maeoniumque senem Romano provocat ore,  
 forsitan illius nemoris latuisset in umbra,  
 quod canit et sterili tantum cantasset avena,  
 ignotus populo, si Maecenate careret.  
 qui tamen haud uni patefecit limina vati  
 nec sua Vergilio permisit numina soli.*

excerpta vetusta, quorum duobus exemplaribus usus sum, habent *Ignotus populis*, quod placet, tum in postremo versu *nomina*, quod non magis ferri potest quam *numina*, quod multi probarunt. intellexit Lachmannus poetam scripsisse

*nec sua Vergilio permisit carmina soli.*

nimirum transtulit in carmen suum Vergilii illud Ecl. i 9 s. *ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum Ludere quae vellem calamo permisit agresti.* quod de Maecenate dicit, cum eo conspirat Martialis vii 56, *iugera perdiderat miserae vicina Cremonae, Flebat et abductas Tityrus aeger oves. Risi Tuscus eques paupertatemque malignam Reppulit et celeri iussit abire fuga.*

Multo etiam apertiore Vergilianii carminis significationem obscuravit librariorum error hominumque doctorum meliora exemplaria nimis venerantium superstitio in Ovidii Amorum i 15 25. scriptum ibi est in optimis libris *Tityrus et fruges Aeneaque arma legentur Roma triumphati dum caput orbis erit.* nihilo minus Ovidium non *fruges* disesse, sed *segetes*, quod in non nullis libris est, praeter alias Bentleius intellexit. ita enim significandum erat illud *Quid faciat laetas segetes.*

LXXVIII. Valerius Flaccus initio libri primi Pelian in animo versasse narrat mortis qua Iasonem interimeret vias ac tempora; quam narrationem hoc versu (37) finit, *ira maris vastique placent discrimina ponti.* sequitur dolosa oratio qua Pelias Iasonem vellus aureum petere iubet. tum haec leguntur,

*mox taciti patuere doli, nec vellera curae  
 esse viro, sed sese odiis immania cogi  
 in freta, qua iussos sectantem quaerere Colchos  
 arte queat. nunc aerii plantaria vellet  
 Perseos aut curru saevos frenasse dracones  
 creditus, ignaras Cereris qui vomere terras  
 imbuuit et flava querum damnavit arista.*

non contigit hominibus doctis ut sententiam reciperarent qua duo versus destituti sunt. nam neque *sectantem quaerere* non offendit neque reliqua ibi intellegi possunt, non magis autem integra oratio in eis est quae de Triptolemo dicuntur aut saevitia potissimum draconum conmemoranda erat. scripsisse videtur Valerius

*mox taciti patuere dolî, nec vellera curae  
esse viro, sed sese odiis immania cogi  
in freta. qua iussos sectatur quaerere Colchos  
arte queat. nunc aerii plantaria vellet  
Perseos aut currus et quos frenasse dracones  
creditur ignaras Cereris qui vomere terras  
imbuit et flava querum damnavit arista.*

cogitat Iason qua arte elusis maris periculis Colchos petere possit. sectandi verbum similiter dictum est atque in illo Horatiano *mitte sectari rosa quo locorum sera moretur.* non liberius autem traiecta sunt verba quam alibi a Valerio fit, veluti v 363, *pulchrum longissima quando Robur cura ducis magnique edere labores.* plurali denique curruum vocabulo unum curriculum Valerius significavit n 411 iii 415 v 245 vi 6 et ante eum Vergilius Aen. i 486 vi 485 x 574 592 xii 350 485 918.

Idem Valerius vi 352 ss. haec habet,  
*arduuus inde labos, medioque in corpore pugna  
conseritur. magno veluti cum turbine sese  
ipsius Aeoliae frangunt in limine venti,  
quem pelagi rabies, quem nubila quemque sequatur .  
ille dies, obnixa virum sic communis haeret  
pugna nec arrepto velli de corpore possunt.*

miratur Burmannus Aeoliām absolute dictam: poterat meminisse versuum Vergilii Aen. i 50 ss., *talia flammato secum dea corde volutans Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris, Aeoliām venit.* sed in proximis versibus non sine causa haesit: nam non insolentius tantum dictum est *quemque sequatur ille dies*, sed post pelagi rabiem et nubila securum esse expectamus quod consimile illis sit imaginemque consummet. quocirca scribere audeo

*quem pelagi rabies, quem nubila quemque sequatur  
illuvies.*

satis erat imbre commemorare, sed saepe Valerius res auget atque exaggerat. quam inluiem dicit Livio viii 24 7 sunt *imbris continui campos inundantes.* Iustinus n 1 14 *sive inluiies aquarum principio*

*rerum terras obrutas tenuit, ii 6 10 huius temporibus aquarum inluvies maiorem partem populorum Graeciae absumpsit. similiter Curtius viii 14 4 namque, ut supra dictum est, imber violentius quam alias fusus campos lubricos et inequitabiles fecerat, gravesque et propemodum immobiles currus inluvie ac voraginibus haerebant. aliud paullo est quod Tacitus dicit Ann. xii 51, interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores.*

Studui tres Valerii versiculos ita emendare ut a libris quam fieri posset minimum recederem. sed aliquotiens ingeniosi homines protulerunt quae quamquam nulla litterarum similitudine commendantur tamen vera et retribuenda esse videntur poetae. sic in ipso principio carminis (i 10 ss.) unum versum Heinsius, alium Slothouwerus audaciore quidem sed necessaria emendatione restituerunt: tertium paullo minore audacia mihi videor emendare. adloquitur Valerius Vespasianum,

*eripe me populis et habenti nubila terrae,  
sancte pater, veterumque fave veneranda canenti  
facta virum. versam proles tua pandet Idumen  
(namque potest), Solymo nigrantem pulvere fratrem  
spargentemque faces et in omni turre furentem.  
ille tibi cultusque deum delubraque genti  
instituet, cum iam, genitor, lucebis ab omni  
parte poli. neque enim Tyriis Cynosura carinis  
certior aut Grais Helice servanda magistris  
seu tu signa dabis, seu te duce Graecia mittet  
seu Sidon Nilusque rates. nunc nostra serenus  
orsa iubes, haec ut Latias vox impleat urbes.*

sunt hic quaedam obscura, sed perspicue tamen vaticinatur Valerius Domitianum bellum Titi Iudaicum carmine celebraturum esse, Titum patrem relaturum inter sidera, id est inter deos. versu septimo in libro Vaticano scriptum tantummodo est *cum genitor*, sed verum videtur *iam* quod additum est in Monacensi. illud autem non intellegitur, quid sit *ab omni Parte poli*. nam dicere potuit Valerius Vespasianum post mortem lucidum sidus esse futurum, sed uni omnia sidera ne ineptissima quidem adulatione tribuere potuit. nihil neque melius neque, ut puto, verius excogitari potest quam quod Heinsius invenit, *cum iam, genitor, lucebis ab alta Arce poli*, nisi quod probabilius etiam scribetur *alti*. depravationis causam non intellego neque ut intellegam multum labore in perspicua emendationis necessitate. mox

*seu tu signa dabis* non potest ferri, neque vero probabilem efficit sententiam Gronovii *si tu signa dabis*, nec multo probabiliorem quod nuper scriptum est *cum tu signa dabis*. rectissime Slothouwerus intellectus scribendum esse *quam tu signa dabis*, neque litterulis nimium inhaerescemus, praesertim cum fieri potuerit ut huius versus initium propter initium proximi depravaretur. restant illa,

*ille tibi cultusque deum delubraque genti  
instituet.*

de quibus verbis non modo Burmannus, sed etiam Heinsius absurdia commentati sunt. adparet nihil aliud Valerium dicere posse quam Titum consecraturum esse patrem. itaque *cultus deum* dicuntur divini honores, sed *genti* omnia turbat ac pervertit. non dubium mihi est Valerium scripsisse

*ille tibi cultusque deum delubraque centum  
instituet.*

Vergilius Aen. I 415 *ubi templum illi centumque Sabaeo Ture calent*  
*arae sertisque recentibus halant*, IV 199 *templa Iovi centum latis immanta regnis*, Centum aras posuit, VIII 715 *dis Italis votum inmortale*  
*sacrabat. Maxuma tercentum totam delubra per urbem.*

LXXIX. Iohannes Schraderus Emendationum capite 7 p. 141 *satius* apud optimos scriptores non adverbium sed adiectivum esse verissime dixit, etsi Propertii versum de quo disputavit (III 34 31), *tu satius memorem musis imitare Philetan*, falso credidit recte se habitum esse si *satius* in *potius* mutaretur: intellexerunt enim nostro tempore conplures scribendum esse *tu Latius Meropem musis imitare Philetan*. idem *satius* apud Varrom de re rustica I 2 26 perperam scriptum esse Lachmannus vidit Propertii p. 224. vituperantur ibi Sasernae quod in libris quos de agri cultura scripserunt multa protulerint ab ea re aliena: tum haec secuntur, *ego, quod magis, inquam, pertineat ad Fundanum veletudinem et in eo libro est satius dicam: nam huiusce pedes solent dolere in fronte contrahere rugas*. non pertinet ad rem de qua dispuo utrum Scaligerum sequamur et *dolere* deleamus, an Popmam, qui *dolore* scribi posse putavit, an denique et post *dolere* in codice quem semiveterem et antiquo illo mendosiorem Politianus dicit insertum recipiamus, quod Gesnerus et Schneiderus fecerunt: illud certum est, *satius* a probo sermone abhorre. ante Victorium, quem *satius* ex antiquissimo libro sumpsisse non dubito, *latius* legebatur. ne hoc quidem probari potest: nam non tantum idonea auctoritate caret, sed nihil deinde admodum late dicitur. Lachmanno

*potius* fortasse scribendum videbatur. expecto Keili diligentiam: interim proferam quod mihi in mentem venit. narratur antea docere Sasernam quo medicamento utendum sit si quem glabrum facere velis, nimurum rana lurida in aqua decocta; iam ex eodem libro adfertur carmen quod medeatur pedum dolori, *terra pestem teneto, salus hic maneto*, reliquaque commemorantur quae Sáserna fieri iubeat dum illud ter noviens cantatur. itaque Varro, qui haec ridet, videtur mihi hac uti potuisse dissimulatione, *ego, quod magis, inquam, pertineat ad Fundani valetudinem et in eo libro est scitius, dicam.* non magis recte *satius* scriptum est in epistula Ciceronis ad Atticum iv 16. exponit Cicero cur in dialogis quos de re publica scribat non maiores partes tribuat Q. Mucio Scaevolae auguri dicitque se id exemplo facere Platonis, qui post primum *Πολιτείας* sermonem Cephalum dimoverit. pergit ita, *credo Platonem vix putasse satis consonum fore si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisse.* multo ego *satius* hoc mihi cavendum putavi in Scaevola, qui et aetate et valetudine erat ea qua esse meministi et iis honoribus ut vix satis decorum videretur eum plures dies esse in Crassi Tusculano. hic *satius* in libro Mediceo factum est a secunda manu, prima scripserat *satis*. abhorre *satius* a Ciceronis sermone Ernestius intellexit coniecitque scribendum esse aut *magis* aut *potius*. sed *potius* ineptum esse, cum non de electione cautionis, sed de eius magnitudine agatur, perspexit Wesenbergius Emend. Cic. epist. p. 39. is igitur *magis* probavit, a quo librarium putavit aberrasse ad *satis* quod paullo antea scripserat. incertum hoc est, certum autem repudiandum esse *satius*, commentum falsissimum. praeter haec, quae iam removi, *satius* adverbii significatione positi exempla duo tantum repperi. in Quintiliani qui dicitur Declamationum excerptis p. 382 Burm. haec scripta sunt, *quis potius morietur quam qui fere mortuus est? quis satius vivet quam per quem omnes vivunt?* verum antequam vetusta harum declamationum exemplaria diligenter explorata erunt et alias saepe haerebimus et hic ignorabimus quam fidem habeat insolentissimum illud *satius*, pro quo alia scribi possunt aptissime, veluti *iustius* et simplicius etiam *potius*. tum Ennodii est epigramma 54 p. 615 Sirm., *Respice portentum permixto iure creatum, Communis generis, satius sed dicitur omnis.* nisi Ennodii hoc esset fortasse suspicaremur scribendum esse *communis generis*: *satius*, si dicitur *omnis*: sed huic sane poetae usum concedemus ab antiqua consuetudine abhorrentem. itaque cum *satius* adverbialiter non tantum dictum sit rarissime, sed nullum eius signi-

ficationis certius paulo exemplum ante sexti post Christum saeculi initium reperiatur, magna sive audacia sive inscientia idem nuper inlatum est in librum aliquanto antiquorem. in Aelii Spartiani Hadriano capite 20 codices praebent, *uno tempore scripsit dictavit et cum amicis fabulatus est si potest* (ita liber Bambergensis a secunda manu, Palatinus et a prima manu Bambergensis potes) credi. *omnes publicas rationes ita complexus est ut domum privatam quivis pater familias diligens non satis novit.* postrema non esse sana manifestum est. sed quod nuper scriptum est *non satius novit*, id triplici vitio laborat. ac primum quidem quam incredibile sit *satius* sic dictum ea docent quae disputavi. deinde fac ita potuisse dici: non consummatur eo probabilis sententia, sed necessario scribendum esset *norit*. denique *quivis* ineptum est: nam ita potius dicendum erat, *ut domum privatam nullus pater familias melius norit*, vel simili aliquo modo. itaque ne illud quidem probari potest quod alius excogitavit, *ut domum privatam quivis pater familias diligens non magis neverit.* mihi quod male additum est resecandum et hoc tantum Spartiani esse videtur, *omnes publicas rationes ita complexus est ut domum privatam quivis pater familias diligens.* nimirum lector aliquis incredulus qui que Hadrianum nimis laudari putaret hic notas suas adposuit. plane enim eis adsentior qui verba illa *si potest credi* vel potius *si potes, crede* (nam hoc latere videtur) delenda esse censuerunt: nam Spartanus nisi ineptire voluit nihil eiusmodi potuit adipisci. eundem autem cavillatorem qui illa addidit adscripsisse puto hanc interrogationem, *non satis novit?*

LXXX. In Iulii Capitolini vita M. Antonini philosophi capite 16 haec leguntur partim valde inepta, *post Veri obitum M. Antoninus solus rem publicam tenuit, multo melior et feracior ad virtutem, quippe qui nullis Veri iam impediretur aut simulatis callidae severitatis, quae ille ingenito vitio laborabat, erroribus aut his, quis praecipue displicebat M. Antonino iam inde a primo aetatis suae tempore, vel institutis mentis pravae vel moribus.* neque per se intellegitur qui esse possint simulati callidae severitatis errores neque Vero tribui potuit ulla severitas neque magis simulatio ulla aut calliditas. immo idem Capitolinus etsi lasciviam luxuriamque Veri reprehendit, tamen propterea eum laudat quod simplex fuerit. dicit enim in vita eius cap. 1 *erat enim morum simplicium et qui adumbrare nihil posset.* similiter cap. 3 *amavit tamen Antoninus Pius simplicitatem ingenii.* idem de M. Antonino philosopho in eius vita c. 29 scribit dederunt ei *vitio quod et*

*fictus fuisset nec tam simplex ut videretur aut quam vel Pius vel Verus fuisset.* simplicitas autem illa dici etiam potuit veritas. Plinius Paneg. cap. 84 ita loquitur, *ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor adgnoscitur.* Martiali x 72 dicitur *rustica veritas.* non opus est de re nota plura congerere. sed veritas ista si calidior est praecepsque et inconsulta, erroribus est obnoxia et in vitiis ponenda. quae cum ita sint vix dubium est Capitolinum ita scripsisse, *quippe qui nullis Veri iam impediretur aut cumulatis calidae veritatis, quo ille ingenito vitio laborabat, erroribus et reliqua.*

Idem Capitolinus in vita Maximini iunioris cap. 6 haec narrat, *scribit Aelius Sabinus, quod praetermittendum non fuit, tantam pulchritudinem oris fuisse in filio ut etiam caput eius mortui, iam nigrum, iam sordens, iam maceratum diffluente tabo, velut umbrae pulchrioris videatur.* ante *umbrae* vocabulum libri vel habent, Bambergensis certe, de quo adfirmatur: nihil minus *velut recte scribitur.* sed *umbrae pulchrioris* a Salmasio inepte explicatur, ceteri tacent: neque admittit sane ullam probabilem interpretationem. quid multa? scripsit Capitolinus *ut etiam caput eius mortui, iam nigrum, iam sordens, iam maceratum diffluente tabo, velut umbra pulchri oris videretur.* nam quod post *pulchritudinem oris* similiter dictum est *pulchri oris,* non utitur hic scriptor sermone tam eleganti ut ab eiusmodi verborum iteratione abhorreat.

LXXXI. Trebellius Pollio in Gallienis duobus cap. 18 de statua quam Gallienus pater sibi maiores colosso fieri et in summo Esquiliarum monte poni voluit haec addit, *sed et Claudio et Aureliano deinceps stulta res visa est: siquidem etiam equos et currum fieri iusserat pro qualitate statuae atque in actussima base poni.* scriptum est in Bambergensi libro *actussima,* in Palatino *acussima* in eoque recentior manus inde fecit *acutissima.* id cum vulgo probatum esset, Salmasius putavit scribendum esse *auctissima:* quod nego Latine dici hic potuisse. nihil latet reconditi, sed scripsit Pollio *atque in altissima base poni.* non usitata est in his vitis illa superlativorum forma, sed inveniuntur in libris non numquam solitaria eius exempla, de qua re quaedam Lachmannus dixit in commentario Lucretiano p. 124. est etiam ubi mendo obtecta sit, ut hic factum est.

Ibidem cap. 19 (Salonini cap. 1) haec narrantur, *unum tamen ponam, quod iucunditatem quandam sed vulgarem habuit, morem tamen novum fecit.* nam cum cingula sua plerique militantium qui ad convivium venerant ponerent hora convivii, *Saloninus puer sive Gallienus*

*his auratos costilatosque balteos rapuisse perhibetur et cum esset difficile in aula Palatina requirere quod perisset ac tacitis militibus viri detrimenta pertulissent, postea rogati ad convivium cincti adcubuerunt, cumque ab his quaereretur cur non ponerent cingulum, respondisse dicuntur 'Salonino deferimus,' atque hinc tractum morem ut deinceps cum imperatore cincti discumberent. scriptum est in libro Bambergensi costilatosque, idemque ex Palatino Salmasius attulit, qui Bambergensem ignoravit. mirabili confidentia nuper scriptum est bullatosque, quasi, in his praesertim libris, mutare liceret minus notum vocabulum alio qualicumque temere arrepto. Salmasius primum eruditione abutitur et nova quaerit, deinde intellegit costulatos balteos (nam ita scribendum putat) esse fortasse balteos regulis quibusdam et virgis distinctos. poterat paullo certius statuere nisi ipse se argumento fraudasset. nam cum in Iulii Capitolini vita Maximini iunioris cap. 1 scriptum esset in libris *dextrocherium cum costula de hyacinthis quat-tuor*, non dubitavit legendum esse *cum copula*, id quod etiam Casaubono in mentem venerat. nos costulae vocabulum servabimus intellegemusque quattuor hyacinthorum seriem in dextrocherio eminentem, pariterque balteos illos putabimus gemmis virgarum specie dispositis ornatos fuisse. neque mutabimus quicquam, sed *costilatosque*, quamquam mirabimur fortasse verbi formam, tamen servabimus. memorabile est enim quod in Cangii Glossario adfertur ex Visitatione thesauroariae s. Pauli Londinensis anno MCCLXXXV facta, quae legitur in Monastico Angl. t. III p. 310, *duae phialae argenteae costilatae et deauratae cum alternis vineis*. nimirum quaedam Latina vocabula quibus media quae dicitur aetas usa est non tam libris quam usu quodam propagata erant. demonstrari id potest in plantarum quarundam nominibus, neque minus credibile est idem accidisse in aliquot quae ad artificia pertinebant verbis. itaque, ut dixi, Trebellio relinquimus quod libri ei tribuunt. sed non potest deinde scripsisse *ac tacitis militibus viri*, Salmasius autem cum excogitavit et confirmare studuit *ac taciti ex militibus viri*, quod nuper praepopere receptum est, non uno peccavit nomine. scribendum est *ac taciti vultibus viri detrimenta pertulissent*.*

Apud eundem Trebellium in Claudio cap. 13 haec leguntur, — *digitis usque adeo fortibus ut saepe equis et mulis ictu pugni dentes excusserit. fecerat hoc etiam adulescens in militia cum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos monstraretur: nam iratus ei qui non balteum sed genitalia sibi contorserat omnes dentes uno pugno ex-*

*cussit, quaerens indulgentiam pudore vindictae. nondum hic omnia emendata sunt. oportet enim scribere quaerens indulgentiam pudoris vindictae. narrat mox Trebellius Decium imperatorem et virtutem et verecundiam Claudii publice praedicasse.*

LXXXII. Symmachus Ep. II 73 *cape igitur litteras meas, quas adeo libenter emitto quia religionis tuae vicissim pascor alloquii. quae res acuere debet ad officia promptiora, cum tibi in commodi foenoris largior usura respondeat. ita scriptum est in egregio libro Parisino, quo excusso Octavius Clasonus nuper effecit ut iam minus incerta sit harum epistularum emendatio. idem probabiliter coniecit te post acuere addendum esse. sed non recte putavit scribendum esse incommodis. nimirum coniunctis tantum duabus vocibus verum restituitur, cum tibi incommodi fenoris largior usura respondeat. litterarum scribendarum molestiam a se frequentius rescribendo remunera tam Symmachus cum pecunia comparat quae non sine incommoditate fenori data est, sed largas usuras reddit.*

Ep. III 18 *restat, quod maxime volo, ut fatearis amicitiae negligentiam. nam officia si plerumque deseras, occupatio est; si semper, oblivio. transcrimen putas. hoc si fieret posset, tacerem. illud ergo patientiae meae. in depravato illo transcrimen Parisinus liber cum aliis conspirat. qualis sententia requiratur perspectum est a Clasono, qui scribendum esse coniecit irati sermonem putas? ipsum illud quod Symmachus scripsit non adsecutus est. nam id quod libri habent attentius intuenti hoc potius adparet, si semper, oblivio. irasci me putas. hoc si fieri posset, tacerem.*

Ep. IV 56 *ad hoc filii nostri Nemesii pia ad larem patremque properatio magis contestationem de me solemnis officii quam satisfactionem desideravit. res postulat ut salute praefata florentissimae indoli eius testimonium feram. sed vereor ne ostentare operam meam videar: quae plus iuveni bonarum artium contulisset nisi fraternus casus fre-gisset cursum duorum. hoc tamen sincerissima fide dicerim, minutam quidem de altero parentis eius felicitatem, sed posse istum suorum gaudio pro utroque sufficere. Iuretus e veteri codice adfert Nemesi ipsa, habetque liber Parisinus nemesupsa: videtur tamen pia verum esse. tum Parisinus liber ad larem fratremque, quod non est probandum. denique idem liber parentis eius, videturque parentum eius Iureti esse conjectura minime necessaria. contra necessaria est alius verbi emendatio. cursum duorum scriptum est in libro Parisino idemque ex aliis codicibus adfertur. cursus duorum legitur apud Iuretum, simul autem*

dicitur *cursum auorum* esse in libro Pithoei. nihil horum sententiam praebet probabilem. mihi manifestum esse videtur scripsisse Symmachum *nisi fraternus casus fregisset cursum* studiorum.

LXXXIII. In codice bibliothecae regiae Berolinensis Santeniano 66, qui quae contineat ab Henrico Keilio Grammaticorum t. iv p. xxxii expositum est, paginis 218 et 219 post quattuor versus extractos et partim noxio medicamine absumptos haec leguntur saeculo nono scripta,

*M*annei lucani. belli civilis. libri quinque sic  
*Incipit. Bella per eamithios plus quam ciuilia campos*  
*Iusque datum sceleri canimus populumque potentem*  
*In sua uitrici conuersum uiscera dextra*  
*Libri papini statii thebaidos. libri duodecim*  
*Terentii andria. libri multi*  
*Incipit eunuchus. sic incipit thais meretrix*  
*parmeno seruus. pamphilus aduliscens. sostra*  
*ta mulier. pamphilus aduliscens. bachimeretrix*  
*antichila mulier. clinia aduliscens. sirus seruus*  
*Iuni Iuuenalis saturarum lib. I. DE INCOM*  
*modis meritorum. lib. II. feliciter. sic Incipit*  
*credo pudicitiam. saturno rege moratam. In terris uisamque*  
*diu cum frigida paruas preberit spelunca domus ignem*  
*que laremque Diui Iuuenalis saturarum lib. II. explicit*  
*Incipit lib. III de sterelitate studiorum*  
*Albi Tibulli lib. II.*  
*Horati Flacchi. ars poetica explicit. INCIPIT*  
*glaudiani deraptu proserpinae lib. III sic Incipit In*  
*fernri raptoris equos adflataque curru*  
*Ad rufinum lib. II.*  
*Claudi In eutropium lib. III.*  
*Debello Gothicō*  
*Debello gildonico*  
*Valeri martialis epigrammatum libri VIII*  
*ad lucanum et tullum*  
*Incipit uictoris artis rhetoricae partis*  
*Seruius aquilino*  
*In cateleena ciceronis libri VII.*  
*Deiotaro rege*

*INCIPIT uerrem actio. M. tulli. ciceronis*  
*INCIPIT uerrem libri VIII*  
*INCIPIT Sallustii crisi orationis ex catilena*  
*Sententia catonis Insenatu*  
*Sententia ex iugurtha et historia v*  
*Libri alchimi sic incipit Inadulescentiam*  
*qui Inpublico patre cadente risisset. et lan*  
*guenti puellae amatorium dedit*  
*Decontrouersia fullonis uel calui*  
*. . . . . Incipit messi oratoris de elocutionibus*  
*olybrio et probino messius*

Fuerunt igitur saeculo nono in quadam regni Francici bibliotheca libri non nulli quorum ne amissorum quidem notitia inutilis est. persequar memorabiliora.

Tibulli librorum per medium quod dicitur aevum nulla antiquior extat memoria. cum duo eius libri numerentur, non integrum fuisse videtur exemplar. venit igitur in mentem fragmentum illud perpetuum, ut Scaliger p. 171 dicit, quod a III 4 65 incipiebat: sed praestat non ariolari. in eis quae hodie extant scriptis Tibulliani corporis exemplaribus tres esse solent libri, coniunctis tertio et quarto. quae exemplaria non potest dubitari deducta esse ex eo codice quem saeculo quarto decimo Guilelmus Pastrengus legit, acceptum fortasse a Francisco Petrarcha: de qua re alias dixi (*Ber. der k. sächs. ges. der wiss. t. I p. 257*).

Quod scriptum est *Valeri Martialis epigrammatum libri VIII ad Lucanum et Tullum*, nimirum epigramma I 36 in libro Puteani ita inscriptum est, *ad Lucanum et Tullum*.

Quod sequitur *Servius Aquilino* initium est libri de finalibus.

In Ciceronis librorum numeris turbatum est. comprehenduntur fortasse numerando diversae orationes. ita cum scriptum est antea *Terentii Andria. libri multi intellegendae esse videntur sex Terentii comoediae: neque enim de multis Andriae exemplaribus cogitaverim.*

Orationum ex Sallustii Catilina Iugurtha Historiis excerptarum unum novimus exemplar vetustum Vaticanum.

Qui secundur *libri Alchimi* ad Alcimum Ecdicium Avitum, episcopum Viennensem, non sunt referendi. incipere dicuntur ita, *In adolescentem* (ita enim scribendum est) *qui in publico patre cadente risisset* (immo *risit*) *et languenti puellae amatorium dedit*. fuit aut carmen aut declamatio, idemque dicendum est de *controversia fullonis*

*vel (id est et) calvi:* quamquam non capio quae illa potuerit esse controversia. fuit autem Latinus Alcimus Alethius rhetor, quem Ausonius Professorum Burdigalensium carmine altero celebrat. cum dicit eum *palmae forensis et camenarum decus* et oratorem laudat et poetam. ex eodem carmine discimus Alcimum aut scripsisse aut scribere voluisse libros de Iuliano imperatore et de Sabino qui cum Iuliano consul fuit anno post Christum natum ccclxiii. ad eum Alcimum pertinet quod Hieronymus in anno Abrahae mmccclxxi, id est in anno Christi ccclvi scribit, *Alcimus et Delphidius rhetores in Aquitanica florentissime docent.* laudat Alcimum Apollinaris Sidonius Ep. viii 11 et simul cum Delphidio Ep. v 10. tribuuntur huic Alcimo ab hominibus doctis carmina non nulla, de quibus Wernsdorffus dixit Poet. Lat. min. t. vi p. 28ss. non minore probabilitate eidem Alcimo tribuemus quae in Santeniano libro conmemorantur.

Denique docemur quo tempore Arusianus Messius vixerit. et composuisse eum Exempla elocutionum postquam Constantinus tres comitum ordines instituit inde intellegi poterat quod Gudii apographum hunc habet titulum, *Arusiani Messi v. c. or. comitis primi ordinis exempla elocutionum ex Virgilio Sallustio Terentio Cicerone.* Santenianus liber docet praefationem habuisse Exempla eiusque primum versum hunc fuisse, *Olybrio et Probino Messius.* Olybrius et Probinus consules fuerunt anno post Christum natum ccclxxxxv. itaque aut eodem illo anno Messius Olybrio et Probino Exempla elocutionum dedicavit similiter atque Claudianus carmen aut certe circa illud tempus: nam cum fratres illi essent, potuerunt omnino praeter consulatus occasionem uni libello utriusque nomina inscribi.

LXXXIV. Saeculi nomen unde deductum sit ignoro ingeniosisque quas proferri memini opinacionibus diffido, illud autem certum est, nugari Varro cum libro de lingua Latina vi p. 193 Sp. existimat *dictum a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putant.* neque minus ineptum est (quamquam in eundem errorem incidit Iosephus Scaliger in Coniectaneis) quod Isidorus Orig. v 38 1 dicit, *secula generationibus consistunt et inde secula dicta quod se sequantur: abeuntibus enim aliis alia succedunt.* protulerat eandem originationem Primasius episcopus Africanus in Commentario in epistulam ad Hebraeos capite 11, *secula vero, ut Ovidius Naso dicit, dicuntur a sequendo, eo quod sese sequantur atque revolvantur, teste Varrone.* potest autem fieri ut Isidorus quae de saeculis dicit a Primasio sumpserit, quem conmemorat in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum

cap. 9. non solet Primasius eiusmodi eruditionem ostentare neque, si recte memini, praeterea gentiles scriptores conmemorat, nisi semel Ciceronem in Commentario in epistulam ad Galatas capite 6, *videas plerosque, quod etiam Tullius ait, libros suos de contemnenda gloria inscribere et causa gloriae proprii nominis titulos praenotare.* bis illud dixit Cicero, Tusc. disp. I § 34 et or. pro Archia poeta § 26. Varronis aliam de vocabulo quod est saeculum a Primasio adferri opinionem quam quae prolata ab illo est in libro sexto de lingua Latina non valde mirum est: nam potuit Varro alias aliter opinari. illud autem sane mirum est quod Ovidius Naso saeculi vocabulum explicasse atque in eam rem Varronis auctoritate usus esse dicitur: neque enim Varronis mentio ab eis quae Ovidio tribuuntur videtur posse separari. atqui nihil in Ovidii carminibus reperitur quod aut eiusmodi Varronis mentionem faciat aut ad interpretandum saeculi vocabulum referri possit. itaque nisi Primasius mirabiliter erravit (nam de fraude et mendacio nemo cogitabit), a librario aliquo Ovidium Nasonem per errorem inlatum esse putabimus. sed iudicent doctiores: nimirum licet, opinor, interdum ἀπορήματα proferre quorum λύσεις frustra quaesivi.

LXXXV. Photius in Lexico p. 183 9 κύβιτον (codex κυβήτον)  
*"Ιωνες τὸ ἄκρον τοῦ ἀγκῶνος. οὖτας Ἐπίχαρμος.* Pollux II 141 καὶ τοῦ πήγεως τὴν ὑπὸ τῷ βραχίονι συμβολὴν κατὰ μὲν τὴν ἔνδοθεν κοιλότητα ὠλέκρανον καλεῖσθαι νομίζουσιν, κατὰ δὲ τὴν ἔξωθεν συμβολὴν ἀγκῶνα· τὸ γὰρ κορωνὸν ἰατρικόν ἐστιν. ὀνομάζουσι δὲ τοῦτο καὶ κύβιτον καὶ κύβιτον εἴποις δὲ ἡς Ἰπποκράτης (de locis in hom. p. 410 Foes.)· δοκεῖ δ' εἶναι Λωρικὸν τούνομα τῶν ἐν Σικελίᾳ Λωριέων, δῆτεν Ἐπίχαρμος καὶ τὸ παίειν τῷ ἀγκῶνι κυβιτίζειν λέγει. non fugerunt haec eos qui Epicharmeae poesis reliquias conquisiverunt: fugit quod apud Rufum Ephesium de part. hom. I p. 29 Clinch. legitur, μετὰ δὲ τὸν βραχίονα ἀγκῶν τὸ σύμπαν ἀρθρον καὶ τὸ δέξιν ἐφ' οὐ κλινόμενοι στηριζόμεθα· οὐδὲ ὠλέκρανον καλοῦσι, Λωριεῖς δὲ οἱ ἐν Σικελίᾳ κύβιτον. Ἐπίχαρμος δὲ καὶ τὸ παίειν τῷ ἀγκῶνι κυβιτίζειν ἔλεγεν.

Pollux II 223 δύο δὲ δῆται περὶ τῷ ἐμβρύῳ χιτῶνες εἰσίν, ὅν τὸν μὲν ἔνδοθεν λεπτότερον καὶ μαλακώτερον ἀμνίον Ἐμπεδοκλῆς καλεῖ, τὸ δὲ ἔξωθεν ἐπ' αὐτῷ, τὸ πρὸς τῇ ὑστέρῃ, χόριον ὀνομάζεται, οὗ καὶ δὲ ὁ ὀμφαλός ἐκπέρψυκεν. Rufus I p. 45 τὸ δὲ βρέφος περιέχεται χιτῶσι. τὸ (scr. τὸν) μὲν

λεπτὸν καὶ μαλακὸν ἀμνιον αὐτὸν Ἐμπεδοκλῆς παλεῖ. ἐντεῦθέν μοι δοκεῖ καὶ Εἴλειθνια ἀμνιάς ἐπωνύμιασται καὶ μᾶλλον ἡπερ ἀπὸ τοῦ ἐν Κρήτῃ λιμένος. ἔωρῶμεν δὲ ἀνατέμνοντες τοῦτον τὸν χιτῶνα περιέχοντα ὑγρόν, πολὺ δὲ καθαρώτερον τοῦ ἐν τῷ χορίῳ, καὶ λογιζομένοις μὲν ἐφαίνετο ὥσπερ ἴδρως εἶναι τοῦ βρέφους, τὸ δὲ διὰ τοῦ οὐραχοῦ ὥσπερ οὔρον εἰς τὸ χόριον ἐκδιδόναι. ἀλλ' ὁ μὲν ἄμνιος ἔνδοθεν ἦν καὶ περὶ τῷ βρέφει, τὸ δὲ χόριον ἔξω καὶ περὶ τῇ ὑστέρᾳ, βραχὺς καὶ φλερβάθης χιτών. ἐκ δὲ τοῦ χορίου ἐκπεφύκει ὁ ὄμφαλός, δύο φλέβες καὶ δύο ἀρτηρίαι καὶ πέμπτος ὁ καλούμενος οὐραχός, ἀγγεῖον βραχὺν καὶ ἀμφίστομον ἀπὸ τοῦ πυθμένος τῆς κύστεως εἰς τὸ χόριον ἐμβάλλων (scr. ἐμβάλλον).

Excripsi haec ut adpareret, quod nondum animadversum esse videtur, Pollucem in conponendo altero Onomastici libro usum esse copiis Rufi Ephesii. dicit autem Pollux in praefatione libri alterius πολλὰ δὲ καὶ οἱ τῷ περιπάτῳ συνήθεις ἐμήνυνον ἡμῖν, αὗτοὶ τὰ παρὰ αὐτῶν καὶ τὰ παρὰ τῶν ἰατρῶν ἀθροισάμενοι, παρὰ δὲν καὶ ἡμεῖς τινὰ τούτων συνελέξαμεν. ὅν γὰρ μετὰ τὴν περιφράνη ἡ γνώσις, τούτων ἡ χρεία παρὰ τῶν πειραρχῶν γνόντων ἀναγκαῖα. excluditur omnis dubitatio. nam quae Rufus de membranis quae fetus involvunt et de umbilico tradit ea non aliunde accepit, ut possimus credere et ipsum et Pollucem ex communi aliquo fonte hausisse, sed vidit in dissectis praegnantium mulierum cadaveribus manifestumque est Pollucem quae ille docuit in suum usum convertisse. etenim verba etiam eius partim servavit aut ita ut fieri oportebat mutavit, veluti ἐκπεφύκει in ἐκπέργυνεν.

Hinc colligitur Pollucem etiam alia in quibus cum Rufo congruit non aliunde sumpsisse. transcribam potiora et in quibus nulla videtur esse dubitatio.

Rufus i p. 25 ἀπὸ δὲ τοῦ μεσοφρόνου τέταται ἡ ἁῖς. ταύτης δὲ τὰ μὲν τρήματα δώδωνες καὶ μυκτῆρες. Ἀθηναῖοι δὲ καὶ μύξας ὀνομάζουσιν. Ἰπποκράτης δὲ τὸ φλεγματῶδες ἴὸν δι' αὐτῶν περίττωμα μύξαν παλεῖ, Ἀθηναῖοι δὲ τὸ περίττωμα τοῦτο κόρυζαν καλοῦσιν. Pollux ii 71 ἁῖς καὶ μυκτῆρη καὶ μυκτῆρες, καὶ παρὰ τοῖς ἰατροῖς δώδωνες. παρὰ δὲ Σοφοκλεῖ καὶ μύξαι οἱ μυκτῆρες κέκληται. 78 νοσήματα δὲ δινῶν τὸ μὲν ἐκ ψύξεως κόρυζα καὶ πατάρρους, τὸ δὲ δυσίατον πολύπονος. τὸ δεῦμα μύξαι (rectius alii μύξα) κατὰ Ἰπποκράτην καὶ κόρυζα κατὰ τοὺς Ἀττικούς. vocem quam Rufus Atti-

cam dixit Pollux, diligens tragoediarum lector, ut Sophocleam notat:  
versum Sophoclis praebet Aelianus de nat. an. vii 39.

Rufus p. 25 τὸ δὲ μεταξὺ τῶν τρημάτων χονδρῶδες ἔινδις διάφραγμα, τὰ δὲ ἐκατέρωθεν ἐπὶ τὰ μῆλα νεύοντα ὀστώδη ἔινδις δάχις, τὸ δὲ πέρας τοῦ ὀστώδους ὑψώματος τὸ ἔνθεν καὶ ἔνθεν πτερούγια· ταῦτα δὲ καὶ κινεῖται ἐν ταῖς σφροδραῖς δυσπνοίαις καὶ ἄλλως βουληθέντων. τὸ δὲ πρὸ τοῦ διαφράγματος τῆς ἔινδις σαρκῶδες ἐπὶ τὸ χεῖλος καθῆκον κίων, τὸ δὲ ἄκρον τῆς ἔινδις σφαιρίον, τὸ δὲ ὑπὸ τῷ κίονι ἐν τῷ ἄνω χείλει κοῖλον φίλτρον, τὸ δὲ δόλον μετὰ τὴν ἔινδια τοῦ ἄνω χείλους ὑπορρίνιον. εἴτα χείλη δύο, ὡν τὰ μὲν ἄκρα πρόχειλα, τὸ δὲ σύμβιλον τῶν χειλῶν προστόμιον, τὸ δὲ ἐπὶ τῷ κάτω χείλει κοῖλον νύμφη. Pollux 79 τὸ δὲ μέσον χόνδρος, τὰ δ' ἐκατέρωθεν ἐπὶ τὰ μῆλα νεύοντα ὀστώδη ἔινδις δάχις. τὸ δὲ τὰ τρυπήματα διαιροῦν ὥσπερ τειχίον κίων καὶ διάφραγμα καὶ στυλίς· ἔνιοι δὲ τὸ μὲν ἔινδον διατειχίζον διάφραγμα ἔινδος, τὸ δ' ὑπὲρ αὐτὸ προῦχον σαρκῶδες, ὡς ἐπὶ τὸ χεῖλος φέρον, κίονα. τὸ δὲ ἄκρορρίνιον δόλον σφαιρίον. 90 ή δὲ ἐν τῷ κάτω τύπος ἡ νύμφη. καὶ τὸ μὲν προῦχον αὐτῶν προχειλίδια, ή δὲ εἰς ἄλληλα τῶν χειλῶν συμβολὴ προστόμιον.

Rufus p. 26 τῶν δὲ ὀτῶν ἀκοὴ μὲν ὁ πόρος δι' οὗ ἀκούομεν, λοβὸς δὲ τὸ ἐπικρεμές, ὅπερ καὶ μόνον Ἀριστοτέλης φησὶ τοῦ ὀτὸς ὀνομάζεσθαι, τὰ δὲ ἄλλα ἀνώνυμα εἶναι· οἱ δὲ ἴατροὶ καὶ ταῦτα ὠνόμασαν, πτερούγιον μὲν τὸ ἀνωτάτω πλατὺ ἐπικλινές, ἔλικα δὲ τὸ ἐντεῦθεν συμπληροῦν τὴν περιφέρειαν τῶν ὀτῶν, ἀνθέλικα δὲ τὸ ἐν μέσῳ ὑπερφαῖρον τὴν κοιλότητα, κόγχην δὲ τὸ ἀπὸ τῆς ἀνθέλικος κοῖλον, τὸ δὲ ἀπεναντίον τῆς κόγχης ἔξαρμα παρὰ τὸ πέρας τοῦ κροτάφουν τράγον, τὸ δὲ τῆς ἔλικος τέλος τὸ ὑπόβραχυ ἀντιλοβίδα. Pollux 85 καὶ τὸ μὲν ἐπὶ τοὺς κροτάφους ἐπικλινές πτερούγιον, τὸ δὲ κάτω λοβός. — τοῦ δὲ κοίλου τὸ μὲν ὑπὸ τὸ πέρας τοῦ κροτάφουν ὑπανεστηκός εἰς τὸ ἔσω νεῦον τράγος. 86 ή δὲ πᾶσα περιαγωγὴ τοῦ ὀτὸς ὑπὸ τὸ πτερούγιον ἔλιξ, καὶ τὸ ἀνθεστηκός αὐτῇ ἀνθέλιξ, καὶ τὸ ὑπὸ αὐτῇ κόγχη. ταῦτα μὲν δὴ ἴατροὶ προσεξεῦρον τὰ ὀνόματα· δ' δ' Ἀριστοτέλης τὰ περὶ τὸ οὖς μέρη ἀνώνυμα ὤπετο πλὴν λοβοῦ.

Rufus p. 27 ή δὲ πρὸς τῷ ἄνω χείλει πρώτη βλάστη προπωγάνιον, αὐξῆθεῖσαι δὲ αὗται αἱ τρίχες μύστακες, αἱ

δὲ ἐπ' ἄκρον τοῦ γενέον πάππος, αἱ δὲ κάτω τῆς γένους ὑπήνη. Pollux 80 αἱ δὲ ὑπὸ ἔνι τρίχες μύσταξ καὶ ὑπορρίνιον, καὶ προπωγώνιον ἡ πρώτη βλάστη· αἱ δὲ πρὸς τῷ κάτω χεῖλει πάππος, τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν ὑπήνη.

Rufus p. 27 στόμα δὲ καὶ ἡ πρώτη τομὴ τῶν χειλῶν. Pollux 98 τὸ δὲ ἔνδον τῶν χειλῶν στόμα, ὥσπερ καὶ ἡ ταὐχειλῶν τομή.

Rufus p. 28 μετὰ δὲ τὴν κεφαλὴν τράχηλος, τὸ δὲ αὐτὸν καὶ δειρὴ καὶ αὐχήν, ὑποδειρὶς (scr. ὑποδερὶς) δὲ τὸ ἐκ τῶν πρόσθεν τελευταῖον τῆς δειρῆς. Pollux 130 κεφαλῇ γε μὴν ὑπόκειται τράχηλος. καλεῖται δὲ καὶ αὐχὴν καὶ δειρή, διθεν καὶ ὑποδερὶς τὸ ἐκ τοῖς πρόσθεν τελευταῖον.

Rufus p. 29 μασχάλῃ δέ ἐστι τὸ ὑπὸ ὕμψ κοῖλον, εἰς ᾧ τὰ πολλὰ ὀλισθαίνει ὁ ὕμψ· μάλην δὲ οὐχ Ἑλληνικὸν ὀνομάζειν. τὸ δὲ φέρειν τι κρύπτοντα ἐν τῇ μασχάλῃ ὑπὸ μάλης ἔχειν λέγεται. Pollux 139 ἡ δὲ μασχάλῃ ὑπὸ μὲν τῶν ἴδιωτῶν καλεῖται μάλη, ὑπὸ δὲ τῶν Ἀττικῶν οὐχί, ἀλλὰ τὸ ὑπὸ αὐτῆς φερόμενον ὑπὸ μάλης φέρεσθαι λέγονται. conf. Lob. Phryg. p. 196.

Rufus p. 30 θέναρ δὲ τὸ μεταξὺ διάστημα τοῦ λιχανοῦ καὶ τοῦ μεγάλου δακτύλου σαρκῶδες, ὑφ' ᾧ τὸ κοῖλον τῆς χειρός. ὑποθέναρ δὲ τὸ ὑπὸ τοῖς τέτρασι δακτύλοις. δοκεῖ δέ μοι Ἰπποκράτης πᾶν τὸ πλατὺ τῆς χειρὸς θέναρ ὀνομάζειν. Pollux 143 καὶ τὸ μὲν ἔνδοθεν τῆς χειρὸς σαρκῶδες, ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου μέχρι τοῦ λιχανοῦ, θέναρ καλεῖται, τὸ δὲ ἔξωθεν δποθέναρ, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ λιχανοῦ ἔως τοῦ μικροῦ δακτύλου ὑποθέναρ. — ἔνιοι δὲ τὸ μὲν πρόσθιον τῆς δρακὸς πᾶν θέναρ οἴονται καλεῖσθαι, καὶ Ἰπποκράτης καὶ Ὁμηρος τοῦτο ὑποδηλοῦσιν.

Rufus p. 32 τὸ δὲ ὑπερκείμενον τῷ ὀμφαλῷ δέρμα γραῖα, δτι ἀντιδούμενον γῆρας σημαίνει. Pollux 170 τὸ δὲ περὶ τῷ ὀμφαλῷ δέρμα γραῖα, δτι ἀνσούμενον γῆρας σύμβολον γίνεται.

Rufus p. 32 καὶ τὸ χαλώμενον τοῦ δσχέον λακκόπεδον· οἱ δὲ ἀχιχάδαρον ἡ λακκοσχέαν τοῦτον Ἀθηναῖον καλοῦσι. τὸ (scr. τὰ) δὲ μεταξὺ δσχέον καὶ ὑποστήματος καὶ μηροῦ πληγάδα (scr. πλιχάδες) καὶ τὸ διαβαίνειν διαπλήσσειν (scr. διαπλίσσειν) καὶ τὸ περιβάδην ἀμφιπλήξ (scr. ἀμφιπλίξ). Σοφοκλῆς δὲ καὶ ἐπὶ δρακόντων ἐποίησε “θαιρὸν ἀμφιπλήξ (scr. ἀμφιπλίξ) εἰληφότε,” ὥσπερ ἀν εἰ ἔφη περιβεβηκότε τὸν

**Θαιρόν.** Pollux 172 τὸ δὲ τῶν ὄρχεων ἡ διδύμων ἀγγεῖον ὄσκεον, οὗ τὸ χαλώμενον λακκόπεδον· τὸν δὲ ἀεὶ χαλαρῷ τούτῳ κεχρημένον λακκοσχέαν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν. τὰ μέντοι μεταξὺ ὑποστήματος καὶ ὄσκέον καὶ μηροῦ πλιχάδες καλοῦνται, ὅθεν καὶ τὸ διαβαίνεν οἱ ποιηταὶ ἀμφιπλίσσειν λέγουσι, καὶ τὸ περιβάδην ἀμφιπλίξ, ὡς καὶ Σοφοκλῆς πατερεγήσατο ἐπὶ δρακόντων εἰπών “Θαιρὸν ἀμφιπλίξ εἰληφότα,” οἷον περιβεβηκότα. depravatorum apud Rufum verborum οἱ δὲ ἀχιχάδαρον ἡ λακκοσχέαν τοῦτον Ἀθηναῖοι καλοῦσι facilis est emendatio ubi Pollucem comparaveris: scribendum est enim φ δὲ ἀεὶ χαλαρὸν ἥ, λακκοσχέαν τοῦτον etc. contra apud Pollucem in Sophoclis verbis peccatum est: satis enim constat versum eius in Triptolemo hunc fuisse, δράκοντε Θαιρὸν ἀμφιπλίξ εἰληφότε.

Alia omisi: quae persequetur si quis de Polluce adcuratius commentabitur. illud addo, Rifi Ephesii opusculis a Christiano Friderico Matthaei Mosquae anno MCCCCVI editis me non potuisse uti.

LXXXVI. Velleius Paterculus i 13 *Mummius tam ruditis fuit ut capta Corintha, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locasset, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros.* qui Velleii historiam interpretati sunt non norant neque, ut videtur, poterant nosse quod legitur in Hieroclis Facetiis p. 283 Boiss., σχολαστικὸς εἰκόνας ἀρχαῖα ζωγραφήματα ἔχοντας ἀπὸ Κορίνθου λαβὼν καὶ εἰς ναῦς ἐμβαλὼν τοῖς ναυκλήροις εἶπεν “ἔὰν ταῦτας ἀπολέσητε, παντὸς ὑμᾶς ἀπαιτήσω.” non fugit Velleii narratio Boissonadum. usum autem illum dicendi quo fatui vocantur σχολαστικοί et morem illum de scholasticis ridicularia narrandi aliquanto quam vulgo putari videntur antiquiores esse Galeni verba docent Meth. med. II 5 t. IV p. 52 Bas. x p. 38 Chart., πρὸς ταῦτ’ οὖν οἱ τὸ Θερμὸν καὶ ψυχρὸν βαλανέων, οὐκ ἴστρῶν ὄνόματα φάσκοντες εἴναι βωμολοχεύσονται δηλονότι καὶ γελωτοποιήσοντιν ἡ μωροὺς ἡ Φρύγας ἡ σχολαστικὸς διηγούμενοι· συνίσσαι γὰρ ἔστοις οὐ μόνον ἀποδεικτικὸν ἐπισταμένοις οὐδέν, ἀλλ’ οὐδὲ ὁ τι ποτέ ἔστιν ἀπόδειξις ἐπαίσσοντιν.

LXXXVII. Breviter significabo emendationem duorum versuum Truculentī, fabularum quae extant Plautinarum mēdōsissimae.

*DIN.* *lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,  
ubi quidquam me poscis. PHR.* *at ego ubi abstuli.*

*DIN.* *iam faxo hic aderit: servolum huc mittam meum.*

*PHR.* *sic facito. DIN.* *quidquid attulerit, boni consulas.*

*PHR.* *ecastor munus te curaturum scio*

*ut quoius me non paeniteat mittas mihi.*

v. 73 libri posces: quod olim correctum est. v. 75 libri ait  
*uierit.* tum *bona:* quod olim correxerunt. *boni* unam syllabam efficit.  
n 6 49

*adduxi ancillas tibi eccas ex Suria duas.*

*is te dono. adduce hoc tu istas. sed istae reginae domi  
suae fuerunt ambae, verum patriam ego excidi manu.*

*is te dono. PHR.* *paenitetne te quot ancillas alam,  
quine examen super adducas, quae mihi comedint cibum.*

v. 52 quot ancillas alam perbene Andreas Spengelius: *quod an-*  
*cilla siam B, quod ancillast iam CD, quod ancillam solam scriptum est*  
*apud Donatum in Eun. v 7 12.* v. 53 libri *quin etiā men.* quod ex-  
amen dicit quae duae sunt convenit protervae meretrici. *quine idem*  
*fere est quod quippe qui,* ut alibi haud ita raro.

M. HAUPT.